morborum, qui aliarum afflictionum tum corporis tum animi
spinis uexati, à nostris Androclis, Caelesti iam gloria, beatis, talis
B: Pio, qualis Notkerus, qualis deniq Beatissimus P. N. Eusebius, sola-
tium capimus, sanamur, et conualescimus. his igitur esse ingratum
quid aliud est quam leone, quàm cane, quàm gallina esse in-
gratiorem? quod uero maius, quod certius, quod deniq peius ingratitu-
dinis signum esse potest, quam de benefactore optimè merito ueluti
per contemptum (aliter enim interpretari nequeo) mentionem nun-
quam facere, quasi apertissimè superbissimè ingratissimeq diceret
nihil unquam se boni ab illo accepisse. aut ita vile ita contemti-
bile quid accepisse, ut ne relatu quidem dignum censeat. haec Aud:
beneuoli ne vobis mihiq obiici olim possint, an ultro ferendum
existimatis, ut ex ornatissimo hoc loco latrârint canes, tripu-
diârint pulices, ruderint asini, praeclarissima uerò sanctissima
iucundissimaq Patronorum nostrorum, parentum, fratrum nostro-
rum, qualium Deus bone! dicta factaq ingratissimo silentio prae-
tereantur? ultrone inquam ferendum existimatis? neminem certe
religiosissimi huius consessus ita sentire, ita velle, ita iubere
autumo, quae cum ita sint. Eusebio nostro Sanctissimo parente dict
unius hodie ~~[illegible]~~ debueram quidem beneuolentiam prius
uestram attentionisq studium à uobis poscere, sed dum filialem
singularemq omnium uestrum in maiores uestros, in domesticos
huius loci Patronos, amorem, pietatem, uenerationemq consid-
ero, non flatus exigui folles, ad excitandas, nutriendas, augen-
dasq orationi meae flammas accersendos esse duxi, ubi uentus et
aurae suum nobis pollicentur auxilium. Verissimum sane et
quouis Sibyllae folio certius adagium illud esse hodie perspicio
quale illud? pomum scilicet non procul à sua stirpe cadere. quid
enim! obsecro Eusebium nostrum considerate, B. Aud: quid Gallo Patri

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 322v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/322v)